

catum trahit, hic autē tacet, non increpat, mercenarius est, lupū venientem videt, & fugit. Et quare fugit? quia non est ei cura de ouibus, quia mercenarius est. Quid est, mercenarius est? temporalem mercedem querit, & in aeternū in domo non habitat. Hæc August. & Greg. Sola causā est vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est, ac si apertē diceretur: Stare in periculo ouium nō potest, quia in eo q̄ ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum querit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis letatur, opponere se contra periculum trepidat ne hoc quod diligit amittat. Et hoc est quod dominus mercenarijs impropere per Ezecl. 13. cap. di. Non ascenditis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die domini. Ex aduerso ascendere est quibuslibet potestatibus præuē agentibus rationis libera voce cōtraire. Et in die domini pro domo Israel stare, ac murū opponere, est fideles in nocentes contra peruerforum iniustitiam ex iustitiæ autoritate vindicare. Ecce quam necessarium est pastori, ac prædicatori contra populi, ac maximē potentū peccata clamare, ac lupum dispergentem non fugere, si nomen mercenarii maluerint effugere. Videant deniq; qui pastorum tenent officia, præbendas recipiunt, & emolumenta, quomodo districto iudicio respondebunt, qui nedum mente timida fugiunt, sed & loco, & corpore lōgē à commissis ouibus ab sunt, nullā p̄ eis curam sollicitudinis habent, animæ pereunt, & ipsi de terrenis commodis letantur. Veniet hora, in quā optabunt se nō fuisse pastores hominum, sed magis comedisse siliquas porcorum, quod vtinam nunc attenderent, & nouissima prouiderent.

Ecce hæc, quæ de pastoribus mercenariisque dicta sunt, omnes vos respiciunt. Mercenarij estis quoties dominō pro temporalibus bonis, honoribus voluptatibus, aut diuitiis deseruistis, desyderantes hic in terris omni vō' optate affluere, nihil de aeternis curantes,

Pastor  
debet vo  
care oues  
& oues  
sequi fra  
storem.

de quibus in psal. 48. dicitur: Anima ipsius in vita ipsius benedictur: Confi-  
tebitur tibi cum benefeceris ei. Quæ p̄  
tractans beatus Greg. 8. moral. ait. Ar-  
rogantes viri tunc laudant diuinæ ius-  
titia rectitudinem, cum se ad gaudiū  
incolumitatis subleuant, & alios flagel-  
la castigant, cum se respiciunt rerum p̄-  
speritate perfrui, alios adueritate fati-  
gari. Adueniente verò lupo fugitis, dū  
instante tentatione, ne temporalia per-  
datis iustitiam fugitis, dum ne homo  
offendatur, offenditur Deus, dū ne car-  
nem conturbetis, pollutis animā pec-  
catis. Hinc vbi supra ait Greg. Si aro-  
gantium vitam quamlibet breuiter ut  
diuinæ correctionis attigerit, pulsati  
protinus consilium diuinū examinis in  
crepant, quod paulō ante incolumes  
admirando præferebant, iustum esse iu-  
diciū, quod suis moribus aduerfatur  
negant, de diuinā æquitate disputant,  
ad resultationis verba p̄ osiunt, & cor-  
recti quia de liquerunt, grauius delin-  
quant. Recte ergo per psalmistam con-  
tra peccatoris confessionem dicitur:  
Confitebitur tibi cum benefeceris ei.  
Despecta quippe vox confessionis est,  
quam format iucunditas prosperitatis.  
Sola autem confessio habet magni mieri-  
tum ponderis, quam à veritate rectitu-  
dinis nequaquam separat vis doloris.  
Hæc Greg. Veri itaq; pastores eritis, si  
viso lupo in aduerfatis tentatione ita-  
tis, si animam vestram positis in præ-  
senti perdendam pro ea ipsa in perpetu-  
um inuenienda, sicut dominus ait.  
Ioan. 12. Qui amat animam suam, per-  
det eam, & qui odit animam suam in  
hoc mundo, in vitam æternam custo-  
dit eam. Odit animā suam in hoc mun-  
do, qui à mundanis, ac illecebrosis de-  
syderis se se retrahit, carnalesq; con-  
cupiscentias ne prosequatur, prohibet.  
Non enim caro, sed in carne anima cō-  
cipit, vt vult magister lib. 3. dist. 17.  
Hanc ergo carnaliter, sed meritorie odi-  
mus, dum he concupiscat, & ne carna-  
lia prosequatur consentiēdo, restitum?  
Odit deniq; animam suam, qui si de  
duobus alterum cogitur eligere, aut fa-  
cere